

Jakob Breiger Georgius Beier

Dissertatio Logico-Metaphysica De Praedicamentis imprimis Substantia

Rostochi[i]: Pedanus, 1622


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729273997>

Druck Freier  Zugang



Inacs: Breiger, Bakob
Resp: Dejer, Georg

R. M. phil. 1672.



58. 51.
Dissertatio Logico-Metaphysica
DE
PRÆDICAMENTIS,
imprimis
SUBSTANTIA,

Quam
DEO T. O. M. annuente

IN
Incluta Academia Rostochiensis
ad placidam disquisitionem
& examen

PROPONUNT
M. JACOBUS BREIGERUS
PRÆSES

GEORGIUS BEJER
Velltedensis Holsatus
RESPONDENS.

Mense Martio hora & loco solitis.



Rostochi

Typis Joachimi Pedani, Anno 1622.



*Admodum Reverendo, Reverendis clarissimis
prestantissimis humanissimiq. Viris*

DN. M. JACOBO FABRICIO,
Superintendenti Holfatiæ generali di-
guissimo & concionatori in aula Gottor-
piana vigilantissimo,

DN. JOHANNI MAURITIO præposito,
& Pastori } Tunderensi,
DN. MARCO SIMONI Ecclesiastæ

DN. M. JOHANNI NIFANIO,
Scholæ Tunderensis Rectori,

*Dominis, Medenatibus, Fautoribus ac Promotoribus
meis perpetuo animi cultu prosequendis*

ἀγαθῶν ἕνεκα hoc Logico-Metaphysicum

in observantiæ tesseram & honoris
signum.

D. D. D.

Georgius Bejer
Velitedensis Holfatus.



Exercitatio Metaphysico-
Logica,

Qua differit

DE

SUBSTANTIA CORPOREA
cæterisq; prædicamentis.

THESIS I.



Optissimæ famæ Versiculus est:

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo divisit, quicquid in orbe fuit. In *Substantiam*
inquam & *Accidens*: Accidentium classes *novem* esse,
notum est, & infra paucis asserendum deducen-
dumq;.

2. Atq; hinc emergunt illa *decem*, vocabulo Metaphysicò, sic
appellata Summa *rerum genera*, quæ vulgò *Categoria* aut *Prædica-
menta* verbò Logicò, dicuntur. Utq; illa diversis insigniri nomini-
bus ac terminis assolent: sic quoq; diversæ disciplinæ ea sibi con-
sideranda sumunt. *Metaphysicus* nempe, præses, princeps & tutor
omnis scientiæ optimus maximusq;: & deinde *Logicus*. Quodq;
dum facit uterq;, etsi in re versantur *eadem*, longo tamen intervallo
distant, ut confusio mixtiove Disciplinarum eo ipso introducatur
nulla.

3. Nimirum *formales considerationum modi* sunt *diversissimi*. In Me-
taphysicis sunt *subjectum γνώσεως*, in *Logicis* constituunt *subjectum
πραξιως καὶ ἐργασίας*: ibi accipiuntur quatenus habent *δύναμιν
Φυσικὴν*: hic verò prout habent *δύναμιν Οbedientialem*: scilicet, ut
ibi *καὶ πῶς ἐστὶν καὶ πῶς ἐστὶν* attributa cognosci possint; idq;
ἁπλοῦς; hic *νοήματα δεύτερα*, extrinsecus imprimenda, re-
cipere

A

cipere

cipere & sic operationem logicam sustinere queant. Unde & ibi consideratio eorum *Essentialis* est, in *Logica* verò tantum *accidentaliter*. Quæ cum ita sint, non malè post *Scherbium*, rejiciemus vulgatam illam, (nisi fortè bonam ipsi inferas mentem:) distinctionem, quæ *Metaphysici* fori esse creduntur *ratione κτήσεως*, at *Logici respectu κτήσεως*. Ineptiusculè! imò falsò!

4. Sedes eorum in *Metaphysicis* indubia est. In *Logicis* magnispugnatur opinionum divortijs, an inter *veras* atq; *essenciales* *Logicæ partes* habenda sint? Etiam: An *totius Logicæ* sint, an verò *solius Topicæ Sophisticæ*q;? Problema hoc *posterius* *de re & a eorū* esto: de *priore* sic sentire nos jubet *Veritas* & melior suadet *ratio*, *Zibarellam* omnium rectissimè hic versari; & *Toletus* nescio quæ distinctio, horsum suo modo spectans, est præter fici folium nihil.

5. Termini *Categoriarum* hem! longè amplissimi latissimi que sunt. Complectuntur etiam ea, quæ noctiluca illa *Luna* suo ambitu cohercere minimè potest. Inclusa illis voluit *Scholasticorum* & reliqua *Logicorum* turba, quicquid includi vulgatis non sivit *versiculis*: *Complexum*, *Consignificans*, *fictum*, *Polysemum*, *Vox Logice*, *DEUS*, *Excedens*, *Privatio*, *Parsq;*.

6. Verùm ne & hoc decreto nimij rigoris incurrerent *notam modum* invenère, quò & ista, *versiculis* allegatis compræhensa, in *Logici* usus atq; *exercitationis* bonum, certè cum *moderatione*, admitterent. *Reductivum* illum vocant, & quia per *indirectum* res ad *Categorias* sic trahuntur, *secundarius* est: cui opponitur is, qui *per se* & *directus* appellatur, atq; *primarius* est. Ergo *ratione sui* in *Categorijs* sunt, qui *posterio* modo ad eas pertinent: *κατ' ἀπό*, qui *priore*. Sic *V. g.* *partes* sunt in *Prædicamentis* beneficio *totorum*: sic *meritò* oppositorum *habituum* in *Prædic.* sunt *privations* & c.

7. Pertinent proinde horsum suo modo, ut ex dictis apparet, *res finitæ omnes*; & notata (th. 1.) *Entis* divisio est *Entis finiti* in suas *Species* immediatas & analogas, *Substantiam* scil. *Finitam* & *Accidens*. De qua re *alibi* quoq; dictum fuit. Quo eodem loco etiam *substantia* cum *ὄρεσι μὲν* tum & *Ἀείρεσιν* in *Primam* & *Secundam* vidimus, quæ ne eramben reponamus, omittimus. Omittimus & illa, quæ de *Substantia immateriali*, intelligentijs præsertim, *ibidem* disseruimus, dicturi pauca de *Materiali* atq; *Corporea*.

8. Con-

8. Constat autem eam componi ex *Materia & Forma*, veluti principijs genuinis; quorum *illa δυνάμεις* rationem habet; *hæc verò τῆς ἐτελεχίας* genium obtinet, & actus officium facit. Cum, DEO auspice & Natura promotrice, copulantur & junguntur, quod *Unum* per naturale istud quasi matrimonium fit, id substantiam *Corpoream* atq; *Naturalem* vocamus: & vocabula ista eandem denotare rem dicimus, quamvis *ratione* distingui & diversos sustinere conceptus formales posse cum *Suarezio in Metaphys. d. 36.* credamus.

9. Cæterum id disputatum imprimis fuit antiquitus, quo *modo copulatio hæc fiat?* an etiam opus certò aliquo *medio*, & quasi *vinculo*, quo coeant & post unionem in isto essendi existendiq; statu conserventur? Neq; enim dubitandi ratio heic nulla, si intuearis, non ea tota, quæ se habent ut acervus aut cumulus lapidum (nimis infirma hæc unio & prorsus accidentaria:) sed cætera ex partibus conflata, quæ omnia videntur aliquod habere medium, & copulam, per quam uniantur. Examina corporis tui structuram: ne esset quidem, si nervis ligamentisq;, quasi quibusdam vinculis, diversæ ejus partes constrictæ non essent. Annon ergò simili ratione animæ corporisq; illa conjunctio ut & fit & conservetur salva, quasi quodam indigebit vinculo?

10. Ita profectò visum Veterum seculò, etiam ijs, quibus, ut in adagione est, quatuor fuere aures. Hinc *Platoniorum* illa *μέθεξις* sive participatio, quâ, ut *Fland. explicat 8. Metaph. q. 10.* inferiora participant superiora. Hinc illa *Lycophronis* unio atq; coitus, sive ut *Aristoteles* loquitur, *συνσεία*: hinc deniq; *aliorum* quorundam nescio quæ *σύνθεσις καὶ σύνδεσμος*. Quam sententiarum triada notavit *Arist. 8. Metaph. r. 16.*

11. Ex *modernis* quidam non obscure *Spiritum* pro terciâ, cum de *homine* specialius, vel etiam generalius de *Animali* quæstio instituitur, parte introducunt, cujus interventu ac meritò priores *duæ*, materia & forma, coaduniantur. In quam sententiam ex *Medicorum Schola* propendere nonnullos, certum est manifestumq;.

12. Verumenimverò à Veritatis abit semita, quotusquisq; notatas sequitur opiniones. Quò nihil certius in hac re tota; quòq; nihil magis ad *Aristotelis* mentem esse arbitramur, isthæc complectar non thesi sed aphorismo. *Materia & forma*, in eodem genere

collocata, ob immediatum, quem inter se fovent, affectum, unum
constituunt per se, sine medij alicujus, quod unionis præstet offi-
cium, interventu aut causa.

13. Etenim simulatq; materia Efficientis beneficio apparatus est,
ratione potentia suæ, quæ *primò ad actum* ordinata est, adq; eundem
directò tendit, formam in se recipit, & ab eadem actuata, *hoc aliquid*
esse incipit. *Avverb.* id perpendens 8. *Metaph. s. 15.* assertionem hanc
(Exactu & potentia fit unum,) inter axiomata, quibus sine discursu
credendum, habet: & rationem ejus quisquis petit, *ὅτι αὐδ' ἐν οὐσίᾳ*
suam prodit, & se, ut indisciplinatum (ex *Sonc. 8. Metaph. q. 38.* loquor):
hominem doctis deridendum an deplorandum propinat. De re ipsa
confer *lav. 8. Metaph. q. 7.*

14. Quæ ipsa etiam ratio est, cur *forma totum informare* dicatur
compositum: non quod omnibus compositi partibus, materiae in-
quam & formæ, (quæ novitiorum: quorundam insipidae crassaq;
imaginationes sunt:) incumbat easq; informet. Annon enim ita se
informaret ipsam? quod *ἐν τῷ ἐκ τῶν* unum est. Sed quatenus
materiae junctæ, eam subigit, subigendo actuat actuandoq; esse suum:
toti composito, quod inde resultat, largitur: quod compositum,
diximus esse *Substantiam Corpoream*, Materialem, Naturalem. Confer
thef. 9.

15. Ex quibus sic disputatis, antequam ulterius pergamus, col-
ligi illud debet, quod *Arist. 2. de An. c. 1. t. 2.* & *VII. Metaph. s. 7.* incul-
cat, cum Substantiam facit triplicem: *Materiam*, *Formam*, & quæ ex
coâlitu utriusq; emergit, *Compositum*. Quæ priora duo quemadmo-
dum si substantiæ non essent, Substantiam, veluti interna principia,
componere non possent: ita nisi alterum eorum *Potentia*, alterum
verò *actus* & *ἐνεργείας* (Aristotelem sequor in stylo & usu vocis ex
VIII. Metaph. s. 6. 15.) ad unum per se & simplex constituendum con-
currere minimè possent. Ut enim verò verius axioma: Substantia
non fit ex non substantijs: ita certissimum quoq; est illud tritum:
Ex duobus actibus completis non oritur aliud per se seu tertium.
Confer *Arist. 7. Metaph. s. 49.* Quod enim in actu est, non recipit
aliud in actu, quatenus actu est. *Avverb.*

16. Antiquitatis hæc oracula sunt, & tantæ evidentia, ut veri-
tatem eorum quisq; pervideat, etiam quibus oculorum usus nullus.

Sed

Sed ausus tamen Goclenius aliquando ita contra *Materiam*, ut in *Physicis* loquuntur, *primam* insurgere. Principium, unde res actu existens fit, actu ens esse necesse est. Materia prima talis, quæ penè nihil est, quæ nihilo similis, quæ omnis qualitatis & quantitatis per se & Physicè expers, non est ens actu. Ergò materia prima non est ejusmodi principium Physicum. In hunc ferè modum olim *Marpurgensis* ille: sed cui rectè aliquot, & decumana quidem, in hoc discursu vitia ostendi queant; quemadmodum ab alijs, & à nobis alibi factum, ubi videatur.

17. *Materia* hæc & *Forma* vulgò *Incompleta* & *Imperfecta* dicuntur: quibus opponitur *Compositum*, quod est Substantia *Completa* & *Perfecta*. Nempe quia *hoc* compositionem alterius substantiæ non ingrediens, rationem partis suscipit nunquam: *illa* verò ordinata & destinata sunt ad alterius subjecti compositionem.

18. Neq; obstat, Entia omnia esse bona & perfecta. Est enim probè observanda ratio, cur *Incompleta* & *Imperfecta* dicantur. Nimirum, quia essentia illorum & quidditates *Metaphysicæ*, etiam si perfectionem habeant *sibi* (quatenus entia sunt,) debitam, eaq; in prædicationibus quidditativis elucescat evidenter; at tamen non habent potentia ac *vim per se existendi*, quemadmodum aliæ essentia, quas dicimus *Completæ*: sed includunt potentiam existendi tantum cum quadam deminutione & sui quasi negatione. Atq; hæc imperfectio est ipsissima ac perfectissima harum substantiarum perfectio, informitas v. g. materiae est ipsa ejus formositas & pulchritudo: ea enim est & tanta, quanta esse ex sapientissimæ Naturæ instituto debuit, quò se solis ac totis existere non debuerunt, sed cum alijs jungi.

19. Explicationis hujus rem sententiamq; vides? Materia non nisi Formæ beneficio existit, cui se occupandam exhibet, & cum forma constituit compositum: annon heic ab essentia & unitate sua quodammodo discedit? Eadem Formæ ratio, quæ non potest suâ naturâ sine beneficio vel, ut sic dicam, gremio materiae existere. Hactenus eleganter & ad Veteris Sapientiæ decreta accommodatè. Nec inelegans tamen imò & verissima & antiqua quoq; ejusdem divisionis explicatio, quâ *Scal. l. 4. de C. L. L.* & ex eo *Goclen.* alicubi, communiter autem *Physici in Elementorum doctrinâ*, substantiam

perfectam vocant, quæ *propter se* est. Cujus exemplum Mixta esse volunt. Imperfectam verò, quæ *propter aliud*, seu quæ comparata ad ulteriorem finem, quàm suum. Tales substantiæ Elementa sunt, suis quidem existentia viribus, sed quæ mixtorum productionem ingredi debeant.

20. Revertimur ad priorem. Ubi quod *Materiæ* naturam attinet in specie, hanc Physici explicant prolixius; partim etiam Metaphysici in *Causarum* doctrina. Quorsum & *Formæ* consideratio pertinet, etsi magis ad hos, quàm ad illos, ut monet *Arist. 1. Phys. c. 82*. Cum autem & *Partiales* eadem vocentur, non possum facere, quin *triplicem* substantiæ partialis, & in specie, *Formæ* modum notem, qui est vel 1. *Imperfectus*, qui est cum dependentia interna à materia. *Internam* dico dependentiam, ut distinguatur ab Inhærentia Accidentium: caditq; hic modus in formas substantiales Corporum naturalium, quas & *Materiales* eapropter dicimus, quæq; separatæ intereunt. Vel 2. *Perfectior*, qui est Formarum informantium quidem materiam, sed ab eadem in esse & operari per se & simpliciter non dependentium: caditq; in animam rationalem in Corpore hærentem. Vel 3. *Perfectissimus*, qui excludit omnem modum Essendi in alio. Confer *Goelen. in Lexicop. 1099*.

21. Sequuntur *Proprietates*, quas adjungi oportuit, iudice *Hannæo*, ut Substantiæ natura perfectius distinctiusq; declararetur. In ijs autem ne à verò devies sensu, nota in antecessum, quod *Arnis.* monet in *Notiis ad Crell.* & aliàs ex *1. Top. c. 4.* publicè notum & multi inter eruditiores usus est, ubi *Proprium* triplex inculcat *Aristoteles*: Aliud *ἴδιον ἀπλῶς*, aliud *ἴδιον ποτὶ*, & deniq; aliud *ἴδιον σχετικῶς* sive *πρὸς ἡ, ἢ πρὸς ἕτερον* & in comparatione ad aliud. Quæ singula diligenter explicata vide apud *Jac. Mart. 1. de Comm. Prop. c. 2.* Et observatis esse in re præsentè, si aliquo horum modorum proprium sit, quod adfertur. Quemadmodum & in proprietatibus cæterorum Prædicamentorum idem usuvenire deprehendemus.

22. Audiamus ergò Aristotelem. Κοινὸν εἰς πάσης ἑστίαι, αἰτ τὸ μὴ εἶναι ὑποκειμένη ἑστίαι. *Commune est omni substantiæ non esse in subiecto.* Cum de substantia sermo, frequens usus est phrasium 1. *substantiendi*, 2. *per se*, 3. *non essendi in alio*, 4. *non essendi in subiecto*, & similibus, quarum

quarum intellectio magnam partem ex superioribus dependet. Ut
alia horum non traham, *Subsistere* convenit alicui ut *Quod*, alicui au-
tem ut *Quo*. Illud dicit modum subsistentiæ *completum*, hoc *incomple-*
tum. Et habet heic uterq; locum, quamvis respectu diverso.

23. Phrasis secunda triplicem, ait subtilissimus *S. otus Quodl.*
q. 9. at plenius dixeris *quintuplicem* deprehenditur apud Autores
habere significatum: Varietatem. Vel enim τὸ *Per se* 1. opponitur *ei*,
quod est *cum alio*. Sic dico, Deum per se creasse mundum. 2. oppo-
nitur *ei*, quod est *ab alio*. Et sic iterum solus Deus est ens per se, &
Scaligeri verbò, αὐτὸν αὐτὸς. 3. opponitur *ei*, quod est *ex alio* vel *per*
alia. Sic simplex solum est aliquid per se. 4. opponitur *ei*, quod est
in alio. 5. opponitur *ei*, quod est *per accidens*. Ita causa per se oppo-
nitur causæ per accidens: ita & Ens per se & Ens per accidens oppo-
nuntur.

24. Quid verò est *Esse in alio*? Etiam hoc est ex numero τῶν
ἀμφιβολῶν λεγομένων, ut videre est apud Armand. de Bellovis. l. 2.
c. 254. Arist. 4. *Phys.* c. 3. ad quem locum *Amerpachus*, inest, ait, 1. pars
toti, ut manus digito. 2. totum suis partibus. 3. species in genere,
ut Homo in animali & contra. 4. Genus in speciebus suis, ut totum
in partibus, aut individuum in specie, quod ipse hic Individui par-
tem vocat. 5. species in materia, ut sanitas in calidis & frigidis; ha-
bitus & operationes in membris instrumentarijs, nutritivum in
stirpibus. 6. Inest quod movetur in movente, cælum v. g. in Deo,
Corpus in anima, populus in Rege. Quale hoc est, Themistio an-
notante, apud Homerum: καὶ τὰ τὰ θεῶν ἐκ γένεσι κείτων. 7. Quod
fit, est in bono, adeoq; in ipso fine. Sic homo fit, ut sit (Philoso-
phice.) Homo fit propter Deum (Theologicè:) & hoc modo ho-
minem fieri est in Deo. 8. Corpus est in Vase & loco. Vide l. 4. *Philos.*
Natur.

25. Quod ad *Ultimam* attinet, initio sciendum est, vulgò duplex
adduci subjectum, nempe *Legium* aliud, & aliud *Physicum*; quæ di-
stinctio si rectè intelligatur parvo distabit intervallo ab ei, quæ Zab.
Definitionem τῶν ὀντων explicaturus, adducit, cum ait: Subjectum
aliud est *Inherentiæ*: quale est respectu accidentium omnium Sub-
stantia, quæ fundamentum est in quo accidentia omnia inhaerent,
ut existant. Alterum est *Prædicationis Univoca*. Sic species Generis,
& Indi-

& Individuum Speciei respectu subjectum est. Neq; enim v. g. species Generi subiecta dicitur, quia Genus in ipsa inhaeret, sed quia genus de specie *ἡνωμένως* prædicatur. Prius Subjectum significavit Arist. cum præpositione IN; posterius per præpositionem DE. Unde propositum Philosophi canonem sic explicat Zab. *Proprium est omnium substantia non esse in subjecto inhaerentia*, in Tab. p. 105.

26. Anton. And. oppositionem illam phrasium *esse in & dici de* heic peculiariter esse Logicam agnoscit quoq; sed, cum explicat, non satis quid velit intelligo. Ait: De realibus accidentibus prædicatur alterum membrum *Esse in*: Intentionalibus per se convenit *dici de*. Malim apertius & ad exemplorum usum accommodatè magis cum CL. *Slehero*: *ἡ* *Esse in* significat prædicationem eorum, quæ sunt extra essentiam subjecti & alterius generis à subjecto: *Dici de* denotat prædicationem essentialium, quæ sunt cum subjecto in eodem genere.

27. Ita ergò, quia per se sunt subsistuntq; in alio subjecto non subsistunt; benè tamen de subjecto *dicuntur*. Quod si ex Psychologiæ doctrina animam (substantiam perfectò) nobis objicere velis, quam *in* corpore organico physico *esse* ait Arist. vel etiam *ἡνωμένως* loquendo formas opponere, quas *in* materia *esse* credimus, huic ex *Scheiblero* respondebimus, hoc *Esse in alio*, de quo in Categorijs, ita esse accipiendum, ut 1. alij isti insit. 2. nec sit ejus pars, neq; etiam cum eo, in quo est, pars alterius, & 3. non possit esse nisi in illo. Applica. Quin & si morosè verum tueri veluerimus, negabimus formam esse *in alio*. Et rectè quidem. Neq; enim Materia in respectu isto ad formam ens actu est, sed tantum potestate: & quid si Materia potius in forma sit, quam forma in materia? Et sanè ita est: Continet namq; illa, hæc continetur.

28. II. *Substantia secunda & earum differentie Synonymas prædicantur, superiores de inferioribus, & in univrsam omnes de primis*. Ita vertit verba Aristotelis, quæ vide suo loco, *Jac. Mart. in Insit. in Categorijs*. Et nota simul sensum, qui hic est. Quando substantia de substantia dicitur aut prædicatur, tam nomen quàm definitio subjecto competit, quod est *Univocè* prædicari. Quando verò accidens de substantia prædicatur, ut *homo est doctus*, non prædicatur tota albi definitio (sicuti aliàs definitio prædicari solet:) de homine, sed ipsa prædicatio est

est paronyma. Accidentia enim sunt ἐρεγγύη, nec possunt in abstracto de Substantia prædicari. *Iac. Mart. d. l. Confer Ant. Andr. super Prædic.* Neq; enim satis ad Univocam prædicationem, ut attributum in se univocum sit, & secundum suum cum nomen tum & rem seu definitionem de subjecto dicatur: (Id enim & in his propositionibus, *Homo est doctus; Paries est albus* &c. fit, quas tamen Paronymicas esse constat.) sed præterea requiritur, ut ratio ac definitio attributi sit ipsa ratio definitioq; subjecti, sive ut ad ejus essentiam constituendam pertineat. Atq; hoc ipsum non obscure indigitare voluit Regius, cum Aristoteli hic esse sermonem, ait, non de quibusvis Univocis, quatenus latè & simpliciter Æquivocis opponuntur, sed de Univocis essentialiter, & quatenus illa etiam prædicationi denominativæ contradistinguuntur, l. 2. *Diff. Log. p. 207.*

29. Sic ergò adducta substantiarum proprietas cum Verissima fit, nec tamen soli competat, si absolutè consideretur. τὰ ἄνω enim (ut *Arist.* loquitur in 1. post.) prædicata Accidentium de suis inferioribus etiam univocè dici certum est & in confesso: habemus exemplum ejus, quod supra notavimus: nempe, etiam ἰδιον hic esse, quod certò comparationis πρὸς ἐρεγγύη respectu huic vel illi Prædicamentorum classi conveniat, & cæteris non item in respectu eodem.

30. *Colonienſes* idem dicturi distinguunt inter Univocè prædicari de inferioribus suis, & inter univocè prædicari de prima substantia. Quorum illud Accidentibus cum Substantijs secundis commune; hoc non item. Deinde ex VII. *Metaph.* constat, Accidentia quia perfectas non obtineant essentias sed per additamentum, non habere quoq; perfectas rationes: unde univocam prædicationem non ita perfecte & propriè in Accidentibus locum habere posse, putant ijdem *Comm. in Prædic. Substant.*

31. Sed an dicta proprietas etiam competit substantiæ omni? quid de Primis videtur? numquid & istas univocè prædicari dicemus? & quidem de seipsis: ut, Socrates est Socrates. Plato est Plato. Qua in re fateor, esse quosdam qui ita loqui videantur: nisi typhothetarum incuriam accusare & mendum agnoscere velint. Identice enim eas prædicari plus quàm certum est. Deinde credimus quoque *Boethio*, dicenti, prædicationes nullas esse veriores, quàm in quibus idem prædicentur de seipso. Et quàmvis identicas dicamus talemodi

74 Enunciationes: tamen fatebimur non inviti, posse dicicerto respectu, non eundem per omnia subiecti & Prædicati esse rationem, sed idem subijci gratia materiæ (ut quidam barbarè loquuntur) & prædicari ratione formæ. Vides ergo nescio quam suppositionis termini ejusdem *ἐτερότητα*!

32. Huic rei dissoluendæ *in*itio solidum substernendum fundamentum est, quod sic eduxeris non perperam. Nihil propriè & per se primò est in seipso. Vide *IV. Phys. t. 27.* Quod si in seipso nihil propriè est, de seipso etiam nihil quit propriè dici: juxta axioma quod hîc urgent *Colonienses*: Dicit de præsupponit esse in. Id quod in Propositione propriè dicta verissimum esse apparet. Unde *Secundò* coniectu facile est duplex esse Propositionum genus: aliud *Propriarum*, in quibus prædicatur majus de minore, vel minimum, æquale de æquali: aliud *Impropriarum*, quas & *Indirectas*, itemq; *Inordinatas* vocant, in quibus v. g. idem dicitur de seipso. Addo *tertiò*, Enunciationum alias esse *artificiales*, alias *sine arte*:

33. Ex quibus responsum quæstioni facile parabis, & difficultates solveris dicendo, Substantias primas prædicari de seipsis posse, sed *prædicatione impropria*, indirecta, inordinata, *inartificiali*. Idq; verissimè, si de *veritate rei*, quam à seipsa habet, sit sermo, licet *veritate prædicationis* non item. Ad hanc enim, ajunt *Colon.* requiritur, ut prædicatum aliquo modo sit superius ad id, de quo prædicatur. Quod hic secus se habet. Ut enim Socrates (materialiter acceptus, prout in subiecto ponitur) singulare suppositum est: sic & Socrates formaliter sumptus, seu Socrateitas (occludite aures vos manes Ciceroniani!) est singularis tantum forma:

34. III. *Omni substantia videtur τὸ δὲ ἴση ἡμεῖς εἶναι.* Zab. τὸ *videri* ita accipit, ut, quod dicitur ab Arist. de *omni substantia verum non esse*, sed aliquâ tantum, nimirum *prima*, colligat. Et huic p. 407. *Disp. Log.* adplaudit *Regius*: ita tamen ut p. 408. Aristoteli benignior sit. Ego *modestis* vocem dixerim, & urferim stylum Aristotelis, apud quem sæpè *δοξῆν certitudinem* subinfert, non ubiq; *apparentiam* nudam; vel potius *utramq;* notat, scil. *apparentiam rei cum ejusdem veritate*. *Colonienses*, Substantia, ajunt, *significat* hoc aliquid juxta *Aristotelem*. At juxta *Veritatem* substantia *prima est* hoc aliquid. Cujus nodi tricas: quæ

quæ explicent, apud illos vide, & numquid negotio satisfaciunt, ipse iudicato. Nobis in alijs gravioribus operosioribus esse fas est.

35. Sunt qui tria requirunt ad τὸδεῦ (hoc aliquid) Aristotelicum constituendum & explicandum. *Primo*, ut sit Individuum & singulare. *Secundo*, ut sit ens per se subsistens. *Tertio*, ut sit Ens completum in natura & specie. Ex requisito *primo* patet, Universalia; ex *secundo*, Accidentia & Universalia; ex *tertio*, Animam rationalem, extra corpus existentem (licet Individua sit, tamen) non esse τὸδεῦ & hoc aliquid. Conditionem *primam* insinuat particula *Hoc*, *secundum* vox *aliquid*: utraq; autem (*hoc-aliquid*) juncta *tertiam*. Quid inde sequitur? Hoc inquam, quod *sola prima* substantia significet hoc-aliquid, quia *sola illa est simpliciter* Ens in ultimo actu naturæ completum, in se & per se subsistens.

36. Verùm quid tum fiet de Aristotelis textu, qui τὸπαν, *Omne*, ait, Substantiam significare τὸδεῦ? Cui & ratio & communis loquendi forma suffragatur. Neq; enim Petrum v. g. dicimus tantum *hunc* hominem, & non *illum*, qui est Paulus, sed & Homo dicitur esse *hoc animal* & Animal dicitur esse *hoc corpus*, nempe vivens & non illud v. g. non-vivens &c. Similia exempla nullo fingas negotio. *Quin* & superior thesi 35. data phraseos τὸδεῦ *hoc-aliquid* explicatio utut communis sit, & multò communior inde fluens aphorismi Aristotelici ad *solas* primas substantias restrictio: tamen lapsus fundamentum facilè ostendi poterit, si ad alia quoq; respicias, in quibus ab eodem turbæ tumultusq; Philosophici. Dicam rem. Universalia spectantur vel *in abstracto* & actu suæ Universalitatis, vel *in concreto* & actu suæ existentiae, quò, quamvis ἀπλῶς singularia non sint, sunt tamen singularizata. Et, quæ talia, ita *suo modo* quoq; τὸδεῦ *hoc-aliquid* & sunt & significant.

37. Atq; sic consentimus in verba Aristotelis, *Omnis* substantia significat τὸδεῦ. Nec obscurum, quænam sint proprie τὸδεῦ *hoc aliquid*; nimirum quæ per se subsistentia vel in alio non subsistentia ita *hoc* sunt, ut non sint *illud*: sicut econtrà τὸδεῦ ἐν τῷδεῦ. i. e. *Aliquid in aliquo* accidentium proprium est, quæ sunt *aliquid in Subiecto*. Slek. Quod si verò συνηρησθῆ facti, quæ siveris, quibus maximè comperat phrasis ista? an *primis*? an *secundis* & Universalibus substantijs? ea

quæstio sicuti alia est, ita quoq; aliam, & expeditam quidem, responsonem habet. Ut enim ad Primas & Secundas Substantias sese existendi atq; subsistendi ratio, ita se ad easdem habet *hoc aliquid*.

38. IV. *Substantijs nihil est contrarium*. Effatum hoc etsi omni substantiæ competit: non competit tamen soli, monente ipso *Aristotele*. Est autem cautè hic versandum, ut ne confundantur distinguenda. Etenim sua Substantiæ *ἀντικείμενα* sunt quidem, at *ἐναντιότης* exinde non suboritur ulla. Sed & Contrarietas non una est. *Javellus 10. Metaph. q. 18.* aliam, ait, esse *Imperfectam*, aliam *Perfectam*. Ad illam sufficit communis radix, quam vocat Excellentiam & Defectum: ad *Perfectam* præter radicem communem, requiruntur *duo*; ut sint duæ formæ sub eodem genere maximè distantes, in quas cadant omnia, quæ sunt illius generis, & deinde, ut acquisibiles sint per motum, aptæ inesse vicissatim eidem subjecto in actu existenti. *Tertium*, quod addunt nonnulli, cum requirunt, ut activæ & passivæ sint ad se invicem, seq; ex subjecto mutuo expellant, non verificatur, inquit *Iav.* simpliciter, sed tantum in quatuor primis qualitatibus, de quibus in *Physicis* disputatur. *Ant. Andr.* aliam facit *Propriam* (hujus ex textu *Aristotelis* condiciones eruit sex,) aliam *Transumptivam*.

39. Est & Contrarietas alia *Directa*, alia *Indirecta* & obliqua. Item alia est *ἐπίμορος*, alia *ἐπιπεμορος*. Sic & quædam sunt *contraria formaliter*, quædam verò pugnant non nisi *ratione aliorum*: quod posterius septem vel octo vel etiam pluribus fieri modis, res ipsas intuenti evidens est. Trita etiam & in vulgus nota distinctio ejusdem in *Physicam* & *Metaphysicam*. *Physica* in ramos sese dividit duos, quatenus vel sese oppugnando hostiliter ex eodem subjecto ejiciunt (ut manifestum est in primis qualitatibus) vel etiam id faciunt sine hujuscemodi actione & passione. *Contrarietas Metaphysica* est in differentijs oppositis circa idem genus, atq; deficit, ut rectè notat *Cl. Stekerus*, à *Physica* dupliciter, 1. quod in se invicem non agunt, nec 2. eidem vel successivè vel simul inesse queunt.

40. Ita in gratiam *Aristotelici* pronunciati nunc breviter. Totam de Contrarietate doctrinam ex alijs pete, & si brevitatis, sed erudita grata, consule *Corn. Marc. Isag. p. 194. seqq.* Dicit autem *Aristotelis* duplex potest esse sensus, prout vel Substantiam compara-

veris

77
veris ad *Entia*, quæ substantiæ non sunt, vel easdem *ut* *Plato* inter se contuleris. Utrumq; fortassis Aristot. admiserit sensum, sed hunc *de utroque*, illum primario. Veritatem etiam habet utroq; sumptum modo. Quamvis enim substantias obliquè & per accidens perimant Accidentia: tamen illis per se directè immediatèq; non contrariantur. Substantia verò substantiæ in ascensu descensuq; lineæ rectæ prædicamentalis quomodo contrariabitur? Ad *Rami* in hunc locum animadversiones nunc nihil: Collationi refutandas relinquemus isthas nugas.

41. V. *Substantia non recipiunt magis & minus*. At benè tamen magis admittunt & minus: admittunt *nomina*, non admittunt *adverbia*. Significat verò 1. *Magis* (adverbium) intensiorem; *Majus* (adjectivum) extensorem. 2. *Magis* notat collectionem multorum graduum & perfectionem in eadem subjecti parte: *Majus* verò diffusionem, quandam in Varias Subjecti partes. Quod expendens *Dn. Slek.* ut aliquid suscipiat magis & minus, ait, requiruntur quatuor. 1. Ut forma illa, secundum quam dicitur Magis & Minus, habeat latitudinem, quandam graduum & perfectionum in eadem essentia. 2. Ut illi gradus sint ejusdem generis & speciei. 3. Ut illud, quod dicitur *esse magis tale*, sit illius formæ subjectum. 4. Ut subjectum istud in eadem sui parte plures illius formæ gradus habeat. Ex tribus enim vulgatis modis, quibus aliquid dicitur *esse magis tale* (Fit namq; illud 1. propter *analogiam* in aliquo prædicato. Sic substantia dicitur magis *Ens*, quàm accidens. 2. ob connexionem plurium graduum illius rei, quæ sua naturâ intenditur vel remittitur. 3. Ob perfectionem differentia & modi, quando nimirum unius rei perfectio ex essentia sua major est, quam alterius. Quomodo magis substantia est homo quam leo & Leo, quàm musca: scilicet quia essentia melioris & perfectioris.) ex his inquam modis præcipuè hujus loci est medius.

42. *Titelman.* cum *Coloniensibus* & *Ans. Andr.* subsidium explanationis ex eo sumit, quod substantia aliquando à *substando* (ita fieri potest, ut vel paucioribus vel pluribus accidentibus, vel etiam perfectius substat.) aliquando à *subsistendo* deducta cogitatur. Hoc modo rationem habet absolutam, neq; intensiorem capax. Vide *L. 2. c. 23.* Neq; desunt, qui scribunt substantiam vel ex *Essentia* aestimari vel ex *Existencia*, & ratione hujus eandem variare contendunt. At hi quomodo

78 modo cum *moderno quodam* in gratiam redire possint, videant, disputante, existentiae modum singularium sive primarum & secundarum esse prorsus eundem, non varium.

43. Ecquae verò ratio sit, cur magis minusq; recipere non possunt substantiae? *Colonienses* adferunt geminam, & ajunt i. quia in indivisibili consistunt. 2. quia ijs nihil est contrarium. Quas n. hanc differentiam in transcurso notare liceat, quod prior ex *dixit* procedat, posterior non nisi topica sit. *Scegkij in Prad.* ita: Substantiae, inquit, actus est simplex, cui nihil addi, nihil detrahi potest. Resq; ipsa naturalis simpliciter aliquo aucta vel diminuta non dicitur, sed cum magis minusq; talis dicitur, id accidentium & materiae causa fit, secundum quae perfectionis imperfectionisq; particeps est. Aliter *Regius disp. Log. l. 2. probl. 5.* quia, ait, Substantia non est in subiecto. Consequentiam probat, quia quicquid intenditur, non secundum essentiam intenditur, sed ratione subiecti. Ut Una albedo non est magis minusve talis; unum tamen album magis album alio est. Intentio fit, inquit, nisi me memoria fallit, *Keckermannus*, quoad *ὕπαρξις*, non quoad *ἕσις*. Verum postremum hoc *Regij* argumentum, quia gravissimam de Intensione & remissione rerum controversiam, ab hoc loco alieniorem involvit, meum nunc non faciam.

44. VI. *Maximè proprium substantiae est cum una numero sit, vim habere recipiendi contraria.* De capacitate & aptitudine loquitur Aristoteles, ex qua actualis utriusq; receptio rectè colligitur, sed successiva: quomodo aqua nunc calida, mox frigida redditur. Cumq; aliud fit, non habere contrarium, & aliud recipere contraria accidentia, palam est, ultimam hanc non adversari proprietati quartae.

45. Causam autem & fundamentum hujus idiomatis *Scegkij* materiam facit, cum quae formae essentiales sint concretæ. Mutantur ergò *ἕσις* non seipsis propter accidentia, cum maneat eadem, sed vicissitudinariae introductioni oppositorum accidentium substant. Quamobrem etiam ratione Accidentium, non dicuntur habere materiam, sed potius esse Subiectum seu *ὑποκείμενον* (instar materiae cujusdam) Accidentium. *In Prad. p. 33.* Quod verò ibidem videtur excipere velle Coelum cæterasq; substantias creatas Immutabiles à veritate hujus effati, huic sese opponit *Regius*. Argumentum autem

autem Scegkij non satis firmum: etsi enim cælum materiam Contradictionis, quam vocant, & similis cum nostrate conditionis minimè habet, habet tamen aliquam: in Angelis autem est aliquid Materix ἀνάλογον. Quare receptio Contrariorum licet similis prorsus Conditionis in Incorrumpibilibus his non sit, non est tamen nulla. Deinde Contraria cum dicimus, cave vocem strictè accipias: etiam quamcumq; diversitatem includit.

46. Quod de *Superficie* objici solet, quam & album & nigrum per vices & diverso tempore recipere posse certum, non ferit scopum. Axioma enim loquitur de *Subiecto ut Quod*: quale superficies non est, quamvis sit subiectum Quò. Loquitur de subiecto *Completo*, non Incompleto, quale Materia esse quit.

47. Pulchra est difficultas, quæ ab *Opinione & Oratione* iisdem ad numerum existentibus hic oritur, sed & doctè ab Aristotele in textu expedita. Breviter. Oratio eadem quod interdum Vera est, interdum falsa, id ei accidit non propter se, sed propter illud, ad quod refertur, ut ῥῆσις propter ῥῆτιν, & δόξα propter δόξασιν, quæ sunt res extra intellectum & mutationibus obnoxia.

48. Hactenus de Substantia prolixius: de Accidente ὡς Βεβαυῶτα. Illud Substantiæ opponi, non contradictoriè quidem, sed verè tamen, ex supra disputatis notum est. Unde & formalis ejus ratio naturæ atq; essentiali substantiæ notioni penitus adversa est. Nempe ut quemadmodum ratio Substantiæ consistit in per se subsistendo: ita notio Accidentis qua accidens, est *inhæere alteri ut subiecto*: Confer *1. Phys. t. 39.* Atq; hoc est, quod vult aphorismus Philosophicus ipsa canicie venerandus: *Accidentis esse est inesse.* Inter *Esse-in alio & Non-esse in alio* non datur medium. Cujus ratio, quia rationes hæ sunt contradictoria. *Arn.* Ergò quia Substantiæ Esse est non-esse-in alio; Substantiæ verò opponitur Accidens, ut dictum, esse Accidentis erit Esse-in alio.

49. Cæterù *Inhærentiam* duplicem faciunt Metaphysici, *Aptitudinalem & Actualem.* *Aptitudinalis*, dicente ex *Ant. Andr. VII. Metaph. q. 1. Arnisæo Epit. Metaph. p. 260.* est dependentia illa seu essentialis ordo secundum suam quidditatem ad subiectum secundum suam quidditatem. *Actualis* dicit ipsam unionem accidentis existentis in ipso subiecto existente. *Utramq;* de Essentia Accidentis esse voluit *Bacon.*
Niphus

80 Niphus Sweß. quibus contradicit Scotus, Ant. And. & involui arbitram-
tur in eâ neutram. Nos cum Land. Cajet. Suar. Lav. & plerisq; recen-
tioribus à Scoto & Baconio abeuntes aptitudinalem duntaxat in ipsa Ac-
cidentis & sic implicari contendimus. Atq; ibid.

50. Verum ad hujus rei explicationem defensionemq; multum prodest no-
tâsse discrimina inter Relationem Transcendentalem, & Prædicamentalem, de qui-
bus sæpè monitum est. Javellus 7. *Metaph. q. 1.* idem diciturus, ait Respectiva ad
terminum & ad subjectum probè hic distinguenda esse. Relationes namq; tran-
scendentales rem nec multiplicare nec realiter diversam reddere certum est, sed sunt
de rerum, quarum sunt, etiam in absoluta Categoria positarum, essentia. Ita & cum
Inhærentia illa hic comparatum est: Licet enim respectum dicat: attamen non ad
duos illum terminos ordinat, sicut in prædicamentali relatione fit, sed tantum ad
subjectum. Unde simul cum Entitate absoluta stare potest. Quod si hæc in creatu-
ris mihi negaveris, ducam te ad ipsum Creatorem, in quo si eadem versaberis au-
daciâ, ter & amplius absurdus an impius eris? Atq; id est, quod negligentius ha-
bitum Antonium And. fefellit.

51. Quod a. Zimar, *thor. 3. Fland. 7. Metaph. q. 1. a. 2.* & Soncinas arbitrantur,
Accidentis rationem ab inhærentia abstrahi posse, ut patet in abstractionibus Ma-
thematicis, id verum est, & rectè adfertur contra Inhærentiam actualem, de alterâ
non concludit. Imò decipiunt seipso, dum à quæsto aberrantes Accidentia spe-
ctant secundum naturas proprias & speciales, non genericam. Quasi hominem
substantiam negare velim, quia specificus ejus conceptus, licet substantialis sit, sub-
stantiam tamen formaliter non includit.

52. Quotusquisq; hæc rectè expendit, non indiget servo monitore, utrum de
prædicabili, an verè de prædicamentali sermo. Illud enim nec res est nec Inhærentiâ
extra intellectum in re sive potentialem dicas sive actualem, habet, sed eas rationis.
Insuper & illud ignotum non est, quod si quæ aliæ Accidentium classes sint, quæ di-
cti generis naturæq; non sint, ea ab hoc loco aliena habenda veniant. Quales sunt
1. *Modi rerum*; quos duplices observare licet; *Internos*, qui non collocantur in-
peculiaribus & distinctis prædicamentis, sed cum rebus quibus accidunt, eadem
ingrediuntur genera, tanquam quæ cum suis subjectis identificantur. Et deinde
Externos, quorum tanta est diversitas, ut etiam in diversa prædicamenta disjungi
possint: sicuti patet in *Quantitate & Figura. 2. Denominativa*, sic dicta in specie,
quod ab extra rem tantum denominant. Cumq; hæc Denominationes reverà nihil
ponant in re, (ut *Causa* in Deo, *videri* in colore &c.) fit, ut sub diversis generibus
non collocentur. Atq; his ita disputatis, strata ad divisionem Accidentium in classes
novem proponendam via erat: sed quia isthæc cum speciali illarum classium

ἐξ ἧσιν in omnium Logicorum libellis ubiq; obvia sunt, ad eosdem
hæc vice lectorem ablegatum volumus, & FINIMUS.

Ⓞ (o) Ⓞ

Mantissæ.

I.

Bene habet Politicum illud effatum: Stulticiam simulare loco sapientia summa est.

II.

Sed quid! an & falsum simulare loco laudi cuiquam duxeris? Nulli inquam, si pessimo sine fiat, si autem dolo non fiat.

III.

Ita E. reprehendimus Calvinisequas, in gratiam ^{αποστασίας} Corporis & sanguinis Christi ^{καταθέσεως} disputantes, Nullum signum posse esse in signato. An quicquam falsus?

IV.

Quo eodem in quaesito absurdi, cum Memoriam tantum absentium & longè remotarum rerum esse volunt.

V.

Timpleri verba & sensum vide. Ita ait. Falsum est, quod DEUS omnipotentiam suam proprietates essentielles à subjectis suis separare possit. Id enim implicat contradictionem, ideoque sub Dei omnipotentiam non cadit. Hactenus ille. At inquam nulla assertionum Timplerianarum vera est: imò

imò falsissimæ sunt aded ut & Oppositæ sint
certissimæ, quâ Theologiam, quâ Philosophiam.

Vl.

Christus est homo. Hanc propositionem
qui Contingentem dixerit, nescit quid Enuncia-
tio Contingens sit.

Vll.

Infiniti natura finita capax non est, ait Scal.
de G. L. L. c. 186. Et Verè quidem ille.

Vlll.


At Timplerus cum socijs falsissimus est, cum
ex illo fundamento Idiomatum divinorum in Chri-
sto-homine Communicationem negat.

Ix.

Totum idem est cum partibus simul & junctim
sumptis.

X.

Utrumq; verum est: Totum est prius par-
tibus: Et, Partes sunt priores toto. Imò nec
falsum est tertium hoc: Totum & partes sunt
simul.



autem Scegkij non satis firmum: etsi enim cœlum
traditionis, quam vocant, & similis cum nostram
nimè habet, habet tamen aliquam: in Angelis
Materia *ανάλογον*. Quare receptio Contrari
prorsus Conditionis in Incorrumpibilibus his non
nulla. *Deinde* Contraria cum dicimus, cave voce
etiam quamcumq; diversitatem includit.

46. Quod de *Superficie* objici solet, quam &
per vices & diverso tempore recipere posse certu
pum. Axioma enim loquitur de *Subiecto ut Quod*
non est, quamvis sit subiectum *Quò*. Loquitur
pleto, non *Incompleto*, quale Materia esse quit.

47. Pulchra est difficultas, quæ ab *Opinione* &
ad numerum existentibus hic oritur, sed & doct
textu expedita. Breviter. Oratio eadem quod inte
terdum falsa, id ei accidit non propter se, sed prop
refertur, ut *ῥῆσις* propter *ῥῆσιν*, & *δόξα* propter
res extra intellectum & mutationibus obnoxia.

48. Hactenus de Substantia prolixius: de *Α
χύτα*. Illud Substantiæ opponi, non contradic
verè tamen, ex supra disputatis notum est. Und
ratio naturæ atq; essentiali substantiæ notioni p
Nempe ut quemadmodum ratio Substantiæ consi
stendo: ita notio Accidentis qua accidens, est *inhæ
Confer i. Phys. t. 39*. Atq; hoc est, quod vult aph
phicus ipsa canicie venerandus: *Accidentis esse est in
& Non-esse in alio* non datur medium. Cujus ratio
sunt contradictoria. *Arns*. Ergò quia Substantiæ E
alio; Substantiæ verò opponitur Accidentis, ut di
tis erit *Esse-in alio*.

49. Cæterù *Inhærentiam* duplicem faciunt Me
nalem & Actualem. *Aptitudinalis*, dicente ex *Ans. An
Arnsæo Epis. Metaph. p. 260*. est dependentia illa s
secundum suam quidditatem ad subiectum secun
tatem. *Actualis* dicit ipsam unionem accidentis exi
jecto existente. *Utamq;* de Essentia Accidentis

